THEOLOGICARUM DISPUTATIONUM

PROPOSITA

THEOLOGICARUM DISPUTATIONUM

PROPOSITA

ROMÆ
EX TYPOGRAPHIA TIBERINA
1862

PRIMORIBVS ORDINIS SVI VIRIS

PENES QVOS ARBITRIVM EST RERVMQVE
MAXIMARVM EXISTIMATIO
ROMAM HOC C· R· ANNO MDCCCLXII
SVPREMI ANTISTITIS ELIGENDI CAVSSA CONVENTIS
ET
DEO DVCE PRVDENTIAQVE MAGISTRA
SIBI VNIVERSAEQ· FAMILIAE PATREM MINISTRVMQVE
DOCTRINARVM GRAVISSIMARVM AMORE
PERANTIQVAE RELLIGIONIS SOLLICITVDINE
TEMPORVM INSTANTIVM NOTITIA
SPECTATISSIMVM FIDE AC SANCTITATE
PRAEFICERE AVENTIBVS

ANGELVS BRIXIENSIS ET IOSEPHVS FERENTINAS

FRANCISCALI SACRAMENTO GERMANI
ET AMBO
IN SCHOLA ARACOELITANA
AD THEOLOGICAM FACVLTATEM CONTENDENTES
HIS DISPVTATIONVM PROPOSITIS
MEDIOCRE INGENIVM PERTENVEMQ· PROFECTVM
QVAM BREVI PRAEPARATIONE AVDACTER
FIDENTIOREQVE ANIMO OSTENDERE
INTER COMITIA SVSCEPERE
A TERTIO FACTA CVILIBET CONTRA
DICENDI POTESTATE

Priscorum philosophorum nobiliores familiae hominem ad beatitudinem natum esse multis coniectionibus intellexerunt; ad eam autem assequendam obstacula complura obversari quam aperte adverterunt: quae tamen duo non nisi divinae revelationis auctoritate immobiliter constituta sunt, atque in certum apud omnes evecta. Age iam Deus, cuius natura bonitas, humani generis misertus est atque ei in finem suum iter aperuit ac stravit. De hoc nos, maximae nempe misericordiae, opere in praesentiarum agentes et quemadmodum ad singularem Christi religionem tumens cogatur mundi sapientia, et quae christianis moribus subdita sint fundamenta declarare consilium est

II.

Principio itaque nos tuemur atque defendimus tantam fuisse originalis culpae granditatem, ut inde peccatores nullo pacto se ipsi expurgare possent, et in Dei gratiam redire. bonorum enim meritorum omnium rationem, principiumque amiserant. Quid ?

III.

Nulla omnino res e nihilo effecta utcumque praestantissima, et quovis divinae gratiae nitore refulgens ad iniuriam Deo illatam resarciendam, veteremque hominis celsitudinem renovandam, sufficeret. non enim esset unde peccati infinitionem exaequaret. Et, si hoc quoque concesseris, quid tum postea? illa eriperetur primigenia hominis libertas, qua nemini, Deo excepto, grates agebat parebatque. Quapropter

IV.

Humanum genus sub peccato venumdatum solus Deus potuit condigno pretio redimere, plene atque absolute salvare. Et quid tum ergo? poterat ne Deus ab hoc tanto beneficio abstinere? quid ni? reponunt theologorum complures: homines enim sua nimirum voluntate deperditi et immani erga Deum facinore obstricti in postrema calamitate relinqui promeruerunt. Verum nobis, et si homines tantummodo respiciantur, tamen defendi posse videtur:

V.

Congruum fuisse ut universa hominum familia protoparentis culpa delapsa, atque ex se omnino impar ad exsurgendum, Deo relevaretur. tum enim peccati initium; tum eiusdem effusa ac contagiosa natura; tum denique conditio consequens id nobis postulasse videntur. Si autem ex parte Dei rem animo reputemus, tunc propositionem hanc statuimus:

VI.

Necessarium fuisse humanum genus a peccati captivitate liberari atque redimi. « nam, ut verbis utar s. Leonis papae, quia « gloriabatur diabolus hominem sua fraude deceptum . . . immor« talitatis dote nudatum . . . Deum quoque iustae severitatis exi« gente ratione, erga hominem, quem in tanto honore condide« rat, antiquam mutasse sententiam, opus fuit, dilectissimi, « secreti dispensatione consilii, ut incommutabilis Deus (cuius « voluntas non potest sua benignitate privari) primam pietatis « suae dispositionem sacramento occultiore compleret: et homo « diabolicae iniquitatis versutia actus in culpam, contra Dei pro« positum non periret ».

VII.

Hoc autem necessarium reparationis opus, primum cum liberrima ac perfectissima Dei voluntate mire componitur. necessitas enim quae immutabilem, optimamque naturam consequitur, longe ac liberalitati quidpiam detrahere possit potius beneficium adauget: deinde

VIII.

Per satisfactionem conficeretur oportuit. illa enim summae clementiae cum summa iustitia compositio, omnibus Dei effectis inhaerens, aliter cogitare non patitur: neque sane intelligitur aliundè posse expletam, absolutamque beatitatem nostram existere. Igitur

IX.

Ad perfectum Redemptorem obtinendum duo coniungenda erant, et debitum reddendi, et solvendi copia: nec enim ab eo, qui non debet; nec ab eo, qui non potest plena satisfactio exsurgere valuit. Quam ob rem Deus-homo solummodo redemptionis nostrae auctor esse potuit. Verumtamen

X.

Divina et humana natura vera atque hypostatica societate coniungerentur necessarium fuit. etenim non perfecta satisfactio aestimatur, ubi non eadem persona reddit, quae obligatione tenebatur, quemadmodum in nestoriana haeresi accidisset.

XI.

Caveat autem quisque ne alterutram naturam in aliam converti, aut utramque potuisse misceri autumet, sicut Eutyches commentus est. nihil enim absurdius fingi potest, quam Deum mutare naturam, aut hominem in Deum transire. Ex his autem quae fiant, Religioni nostrae conducibilia, late patet. Et primum

XII.

Iesum Christum non solum hominem fuisse egregium, singularem ac pene divinum, ut iam omnis philosophorum atque theologorum rationalium schola confitetur, sed vere ac proprie Deum esse. Et quae sane et unde nobis esset spes salutis, aeternaeque felicitatis, si Christus divinitate exuatur? Deinde

XIII.

Iesum Christum sufficiens redemptionis nostrae pretium impendisse, et satis pro nobis vere fecisse. Et re quidem vera in sociniana ratione inemptum prorsus foret humanum genus; propterea quod licet Christus semetipsum in sumptum dedisset non ideo tamen iustam, aequabilemque satisfactionem fecisset. Praeterea

XIV.

Quotquot ex adamitica stirpe generantur non nisi per Iesum Christum aeternam beatitudinem consequi possunt. ille enim solus paradisi ianuam nobis aperuit, ut ait apostolus Paulus in ep. ad Hebraeos. Postremo

XV.

Nomina messiae, christi, salvatoris, iesu, redemptoris Mariae filio vere ac proprie congruere; in alios autem praestantissimos ac beneficentissimos viros patentiore tantum significatione translata esse.

XVI.

Et quis etiam non videt, quam longe a veritate desciscant, qui Christum, Salvatorem, Redemptorem nulla certa, finitaque persona contineri sibi persuadent?

XVII.

Verumtamen non omnes homines hoc uno assequuntur vitam aeternam quod per cruentum Christi sacrificium Deo reconciliati sunt. eorum enim vas ac sponsor reliquit, ut libere ipsi de sua plenitudine accipiant; ac ideo, auctore Augustino, qui nos fecit nescientes, non salvat, nisi volentes. Et vero

XVIII.

Homo ab integritatis suae ac primordialis dignitatis statu delapsus quidpiam boni, relictis sibi viribus, efficere valet. licet enim ingens fuerit casus, non ita tamen naturam prostravit, ut rationem prorsus extinxerit, ac voluntatis vim omnino de-

triverit. Et qui sane utraque tum resarciri potuisset ? Adde malum quodlibet, bonum, in quo insit, necessario exquirere. Ob quam rem

XIX.

Peccatorum operationes omnes quavis de caussa susceptas et quavis ratione peractas totidem esse peccata, quam recto Ecclesiae iudicio damnatum est. Mali enim homines non perpetuo qua mali sunt operantur, neque semper in nefarium finem inexsuperabiliter trahuntur. Atque etiam

XX.

Merito proscriptum est: infideles nullum umquam bonum opus facere posse. Etenim quamvis christiana fide carentes Deo placere undequaque non possint, et in ipsum Deum ultimo ac pro viribus animum intendere; recta tamen a pravis, turpia ab honestis et ab iniustis iusta interdum discernere datum est. Porro quum quae meliora vident sequuntur probe operari censendum est.

XXI.

Caeterum nos non de cuiuslibet ethicae initiis, bene vero de christianorum morum fundamentis nunc agimus. ac propterea

XXII.

Medicinalem Christi gratiam nobis necessariam esse ponimus, ut justam sanctamque vitam instituamus. omnes enim nos, mala propagine orti, tanta ignoratione veritatis vexari, tantaque in malum inclinatione detrahi sentimus, ut plus prave factorum suavitas, quam virtutum asperitas delectet.

XXIII.

Illud autem, quo sanamur et recreamur, medicamentum vel auxilium non libero arbitrio, legis doctrina, atque exemplo Christi continetur; sed in voluntatis delectatione quam maxime est collocandum. aliter enim non sunt intelligenda illa paulina verba: charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per spiritum sanctum, qui datus est nobis.

XXIII.

Neque tantum gratia Christi adiutat volendi atque operandi *possibilitatem*, ut callide fatebatur Pelagius, sed etiam voluntatem ipsam ac operationem bonam. Clarius enim hac super re loqui non potuit idem apostolus Paulus, qui nulla ambiguitate, praecisaque oratione edocuit: Deum esse, qui operatur in nobis et *velle* et *perficere*. Hinc

XXV.

Gratia Christi non tantum expedit ad praeterita dimittenda peccata, sed necessaria quoque est ad futura praecavenda; adeo ut, ea subtracta, nemo sine peccato esse possit, ut contra pelagianorum haeresim demonstravit sanctus Augustinus.

XXVI.

Nullum quoque fuit Pelagii effugium, dum gratiam ad facilius bonas operationes perficiendas concedi asserebat. si enim homines, tamet si difficulter, possent recte ac iuste vivere, Christus item gratis mortuus esset, e usque evacueretur crux. Quare

XXVII.

Gratiam ab intrinsecis suis, ut aiunt, bonarum actionum efficientem admittendam esse existimamus, quae quidem voluntatem communi noxa labefactatam et afflictam, undequaque praemoveat et antegrediatur, uti supremae Causae absolutus dominatus expostulat.

XXVIII.

Praevalidae autem huic gratiae inoffensam subesse humanam libertatem praestantissimorum theologorum consensus, firmissimaque argumenta suadent: et adeo apostolus Paulus non est veritus libertatem inficiari dum Dei filios spiritu Dei agi affirmabat, ut potius nullibi libertatem inveniret, nisi ubi agens spiritus Dei inhabitat. plus enim servit qui sibi, quam qui Deo paret. Porro

XXIX.

Homines per gratiam Christi, non solum ad virtutes et bonorum omnium postremum enituutur, sed spiritalem quoque veluti formam induunt, qua, tametsi ab omni negotio se abstineant, tamen Deo placent; quae tum gratia habitualis a theologis appellatur; permanenter enim et tamquam habitus animo adhaeret. Et numquid saue ab perditissimis hominibus iusti satis differrent, si nulla stabili venustate micarent? Praeterea

XXX.

Hanc gratiam ab culparum maculis animum penitus eluere, omniaque peccata vere ac proprie delere et expellere contra Novatores ponimus: qui solo Dei favore, solaque iustitiae Christi deputatione foeditates omnes atque scelera non amplius nobis imputari atque tegi commenti sunt. praeter enim quam quod nihil Deo abscondi potest, sepulcra dealbata probare summae sanctitatis ac perfectionis esse non potest.

XXXI.

Gratia Christi, quae ad iuste sancteque operandum, quaeque iustos sanctosque nos efficit, gratuita Dei dispensatione donatur. eius enim natura ac praestantia fert, ut non ad cuiusque meritorum rationem reddatur; atque adeo ipsa gratia meritorum omnium bonorum principium et causa est.

XXXII.

Quemadmodum autem ad nos Christi gratia deducatur, distincta de sacramentis novae legis disceptatio declarabit. Haec quidem christianae moralis prima esse arbitramur.

Bibliothecae aracoelitanae loco disputatum est, et iuvenibus defendentibus assedit p. Petrus lucensis, quo utebantur doctore.

IMPRIMATUR

Fr. Thomas Cianciarelli S. P. A. Mag. Soc.

—

IMPRIMATUR

Fr. Antonius Ligi-Bussi Archiep. Icon. Vicesg.

——